Noverint universi quod nos domina Beatrix dei gracia abbatissa monasterii sancti Danielis Gerunde de consilio et assensu expresso ac et ordinacione reverendi patris domini
Petri dei gracia episcopi Gerundensis et de consilio et etiam assensu nostri Conventus ad hec more solito congregati, Constituimus, facimus et ordinamus generalem procuratorem,
actorem, negociorum gestorem, yconomum, sindicum seu nuncium specialem nostrum et ipsius monasterii vos Castilionem Rocherii clericum ecclesie sancti Felicis Gerunde
presentem et hanc procuracionem recipientem ad omnia nostra et ipsius monasterii negocia gerenda et excercenda et ad procurandum, tractandum, gubernandum, recipien-
dum et amministrandum omnes redditus, fructus, proventus et exitus ac omnia bona et jura quocumque modo et ubicumque ipsi monasterio competencia et que nos aliquo
modo recipere consuevimus et habere ac etiam nobis pertinent racione monasterii supradicti tam infra Civitatem et diocesim Gerundensem quam extra. Dantes et concedentes vobis dicto
procuratori nostro et dicti monasterii generalem et liberam amministracionem ac plenum et liberum posse petendi, exigendi et recipiendi, colligendi, reponendi, regendi
et amministrandi omnes fructus et expleta, redditus, bona et jura dicti monasterii quecumque sint et ubicumque et satisfaciendi de ipsis bonis omnibus et singulis perso-
nis quibus appareat ipsum monasterium esse in aliquo obligatum, et faciendi et recipiendi finem, remissionem et pactum de ulterius non petendo omnibus seu ab omni-
bus quibus vel a quibus aliquid solveritis vel receperitis, prout vobis melius et utilius videbitur faciendum. Et obligandi personam nostram et bona ipsius monasterii de
observandis et adimplendis omnibus et singulis que per vos dictum procuratorem nostrum et monasterii acta, procurata, promissa fuerint nomine nostro et ipsius monasterii sive
gesta ac etiam faciendi composiciones pro nobis et pro dicto monasterio diffinicionum personarum et stabilimentorum, mansorum et honorum que pro dicto monasterio tenentur
cum vel quibus volueritis et quod precio meliori inveneritis et utiliori pro dicto monasterio poteritis, et que nos in instrumentis predictarum diffinicionum, dictarum personarum et stabilimentorum,
alienacionum et vendicionum mansorum et honorum que pro dicto monasterio tenentur libere et absque omni exaccione et contradiccione habeamus firmare, facere et lauda-
re, quencumque per vos nobis fuerit requisitum. Id tamen quod pro firma recipietur de omnibus supradictis ad manus vestras libere et integre veniat et illud in uti-
litate dicti monasterii expendatis. Vos tamen de bonis dicti monasterii que ad manus vestras pervenerint tam dominabus ipsius monasterii quam clericis in quibus eisdem pro nos providere
consuevit (omnibus) tam in porcione cotidiana panis et vini quam in pietanciis et aliis omnibus que clericis et domine ipsius monasterii a nobis sunt recipere assueti teneamini eisdem
plenarie providere. Vos enim ultra duplicem porcionem quam nos in ipso monasterio habemus et recipere debemus et preter expensas unius pedissece que in servicio
nostro erit, cui providebitis in victu et vestitu et logerio teneamini nobis dare quolibet anno de bonis dicti monasterii pro nostris necessariis faciendis Centum
et Quinquaginta solidos barchinonenses monete de terno scilicet medietatem in festo Natalis domini et aliam medietatem in festo pasche proxime annuatim. Et preterea
nobis dominabus et clericis et nunciis seu familie dicti monasterii de hiis que superfuerint de bonis predictis teneamini solvere debita que in dicto monasterio nunc debentur
et facere de ipsis bonis omnia negocia que tam intus quam extra ipsum monasterium vobis occurrerint facienda, sine dampno et expensis vestris, ac etiam aliquo interesse.
Et etiam teneamini nobis reddere per juramentum bene et fideliter computum de receptis et datis prout hec et alia superius expressata in instrumento ordi-
nacionis per dominum episcopum supradictum facte lacius et plenius continentur. Predictam autem officium seu procuracionem hic ad unum annum sequentem durare vo-
lumus et non ultra. Promittentes nos ratum et firmum semper habere quicquid per vos infra dictum tempus actum, procuratum fuerit sive gestum et nullo tempore
revocare. Volumus etiam et vobis concedimus quod pro labore et salario unius anni et pro huiusmodi procuracione per ipsum annum excercenda habeatis et recipiatis integre et
recipere et penes vos retinere possitis de bonis dicti monasterii Ducentos solidos barchinonenses monete de terno secundum quod per dominum episcopum et nos extitit ordinatum. Man-
dantes nichilominus cum hoc presenti publico instrumento vice epistole generali universis et singulis bauilis, hominibus et feminis nostris et etiam tenentibus per nobis et monasterio
supradicto, quod vobis de omnibus censibus, foriscapiis, laudisimiis, censibus, redditibus et aliis juribus nobis et ipsi monasterio qualicumque modo et ubicumque pertinentibus pro nobis
et nostro et ipsius monasterii nomine per totum dictum tempus respondeant integre et fideliter ut tenentur. Damus etiam vobis dicto procuratori nostro et dicti monasterii plenam et
liberam potestatem trahendi in causam omnes et singulas personas nobis et dicto monasterio injuriantes vel jura nobis debita dare cessantes et inde querimonias
exponendi coram quocumque judice ecclesiastico vel seculari, et agendi, deffendendi, excipiendi, respondendi, replicandi, triplicandi, contradicendi, ponendi, alle-
gandi, protestandi et in judicio et extra et protestatis respondendi, calumpnie et cuiuslibet alterius generis juramentum in animam nostram prestandi et subeundi,
testes et instrumenta et alia probacionum genera producendi et procurandi et etiam excercendi jurisdiccionem quamcumque nos habemus in homines et personas dicti monasterii
et capiendi si opus fuerit et encarcerandi easdem personas quociens opus fuerit, et banna et penas quantitatis que vobis videbitur eis imponendi quociens necessarium
fuerit et emparas easdem faciendi et fieri faciendi et id quod provenerit ex ipsis bannis et penis et emparis fractis habendi et recipiendi, judices et ju-
dices eisdem personis dandi, assignandi et constituendi tociens quociens opus fuerit, et pignorandi et distringendi firmamenta directi a quibuscumque recipiendi,
sentencias interlocutorias et diffinitivas audiendi et ab eis et a quocumque gravamine sive gravaminibus illatis seu comminatis et etiam comminandis et inferendis si
necesse fuerit appellandi et appellacionum causas prosequendi et ad effectum ducendi, renunciandi de facto in causis et concludendi, apostolos petendi et recipiendi,
judices recusandi et alios impetrandi. Et alium vel alios procuratorem seu procuratores substituendi ante litem contestatam et post qui eandem habeant
potestatem, et firmandi et jus pro nobis et dicto monasterio et pro jure firma bona dicti monasterii obligandi, componendi etiam transigendi, paciscendi et
compromittendi in quoscumque et sub quacumque pena volueritis approbandi vel etiam reprobandi arbitrium seu promulgacionem ipsius arbitri seu arbitrorum et inde
appellandi et ad boni viri arbitrium recurrendi, apochas de recepto seu soluto et etiam diffiniciones generales ex parte nostra faciendi et petendi et re-
cipiendi omnia et singula instrumenta, capibrevia et omnes alias scripturas nobis vel dicto monasterio pertinentes a quibuscumque personis seu scriptoribus. Et generaliter omnia alia et
singula faciendi que in predictis et circa predicta facienda occurrerint et que potest et debet facere procurator legitime constitutus, et que nos etiam facere et expedire possemus
personaliter constituta. Et volentes vos dictum procuratorem nostrum et dicti monasterii et substituendos a vobis relevare ab omni honere satisdandi de judicato sol-
vendo et ratihicione promittimus vobis et subscripto notario tanquam publice persone recipienti et stipulanti a nobis predicta et infrascripta nomine vestro et nomine aliorum quorum
interest et interesse poterit judicio sisti et judicatum solvi cum omnibus suis clausulis universis. Ratum, gratum et firmum semper habere quicquid per vos vel substi-
tuendos a vobis actum, gestum et procuratum fuerit in predictis quoquomodo et nullo tempore revocare, sub obligacione omnium bonorum monasterii antedicti. Et ego
Castilio Rocherii recipiens officium procuracionis predicte a vobis dicta domina abbatissa de consilio et assensu vestri conventus et juxta ordinacionem dicti domini episcopi michi
commissum promitto vobis omnia supradicta pro posse meo attendere et complere. Juras per deum et eius sancta quatuor evangelia corporaliter tacta in presencia vestri domine ab-
batisse et dicti conventus recipientis predictum officium et procuracionem gerere et procurare bene et fideliter ut melius potero ad utilitatem monasterii supradicti, secundum
quod in ordinacione predicta melius et lacius continetur, ac vobis domine abbatisse dare per totum tempus procuracionis in fine de bonis dicti monasterii ea omnia que superius sunt ex-
pressa. Et nos Carsendis de Mata priorissa. Beatrix de Garriga camararia. Saurimunda de Lupiano infirmaria. Elicsendis Alcheria sacristana. Jaspe-
ra Algueria piataria. Aliurs de Bedocio cabiscola. Marchisia de Villaricho. Alamanda de Serriano. Sancia de Fricella. Ermessendis de Villamarino.
Berengaria Aliona operaria. Saurina de Castro episcopali. Galdi de Palaciolo. et Constancia de Sancta Eugenia monales dicti monasterii firmamus et laudamus
omnia supradicta. Actum est hoc xiiii kalendas Augusti anno domini Millesimo CCC Nonodecimo. Signum domine Beatricis dei gracia abbatisse. Signum Casti-
lionis Rocherii procuratoris. Signum Carsendis de Mata priorisse. Signum Beatricis de Garriga camararie. Signum Saurimunde de Lupiano infirmarie.
Signum Elicsendis Alcheria sacristane. Signum Jaspre Alguerie piatarie. Signum Aliurs de Bedocio cabiscole. Signum Marchisie de Villaricho.
Signum Alamande de Serriano. Signum Sancie de Fricella. Signum Ermessendis de Villamarino. Signum Berengarie Alione operarie. Signum
Saurine de Castro episcopali. Signum Galde de Palaciolo. Signum Constancie de Sancta Eugenia, monialium predictorum qui hec firmamus et laudamus.

Testes huius rei sunt Bertholomeus de Stagno sartor, Bn. de Stagno et A. de Torrente.

Signum Petri Burgesii publici notarii substituti auctoritate Regia a Raimundo Simonis de Toylano publico Gerundensi notario qui hec scribi fecit et
clausit cum supraposito in xxvii linea ubi dicitur omnibus.

20-7-1319 nº 507

Procura gnal feta per la abad. sa de Sant daniel a Castello Zaquer (?)

~~A 10 agost 1319.~~

Monastir.

Nº 54

T 780 x 335

526